



## I - COMMISSIONIS CONSTITUTIO

### 1

#### ORDO AGENDORUM TEMPORE QUOD INTER CONCLUSIONEM PRIMAE PERIODI CONCILII OECUMENICI ET INITIUM SECUNDAE INTERCEDIT \*

1. Longo temporis intervallo, quod intercedit inter conclusionem primae Periodi et initium secundae die 8 Septembris 1963, curandum erit ut schemata rursus examini subiciantur et perficiantur, debita habita ratione laboris iam antea peracti. Hoc munus demandatur Commissionibus Conciliaribus, quibus suam operam praestabunt *Subcommissiones speciales ac mixtae*, ut labores expeditius procedant.

2. Finis Concilii Oecumenici Vaticani secundi proprius, quem Augustus Pontifex saepe declaravit ac peculiari modo revocavit in allocutione habita die 11 Octobris proxime elapsi, normas impertire debet laborum peragendorum, eosque dirigere et confirmare. Permulti etiam Patres in coetibus conciliaribus eandem de hac re sententiam significaverunt, scilicet ut varia argumenta pertractarentur iuxta praedictum finem.

Iamvero Beatissimus Pater in memorata allocutione haec habuit:

« Neque opus nostrum, quasi ad finem primum, eo spectat, ut de quibusdam capitibus praecipuis doctrinae ecclesiasticae disceptetur, atque adeo fusius repetantur ea, quae Patres ac theologi veteres et recentiores tradiderunt, et quae a vobis non ignorari sed in mentibus vestris inhaerere putamus.

« Etenim ad huiusmodi tantum disputationes habendas non opus erat, ut Concilium Oecumenicum indiceretur. Verumtamen in praesenti oportet

---

\* Textus a secretario generali lectus est in congregatione tricesima quinta, die 6 decembris 1962, et Patribus distributus est typis impressus, die sequenti, in congregatione tricesima sexta: cf. *Acta Synodalia...*, vol. I, pars I, pp. 96-98.



ut universa doctrina christiana, nulla parte inde detracta, his temporibus nostris ab omnibus accipiaturo novo studio, mentibus serenis atque pacatis, tradita accurata illa ratione verba concipiendi et in formam redigendi, quae ex actis Concilii Tridentini et Vaticani Primi praesertim elucet; oportet ut, quemadmodum cuncti sinceri rei christianae, catholicae, apostolicae fautores vehementer exoptant, eadem doctrina amplius et altius cognoscatur eaque plenius animi imbuantur atque formentur; oportet ut haec doctrina certa et immutabilis, cui fidele obsequium est praestandum, ea ratione pervestigetur et exponatur, quam tempora postulant nostra. Est enim aliud ipsum depositum Fidei, seu veritates, quae veneranda doctrina nostra continentur, aliud modus, quo eadem enuntiantur, eodem tamen sensu eademque sententia. Huic quippe modo plurimum tribuendum erit et patienter, si opus fuerit, in eo elaborandum; scilicet eae inducendae erunt rationes res exponendi, quae cum magisterio, *cuius indoles praesertim pastoralis est*, magis congruant ».

« ... Catholica Ecclesia, dum per Oecumenicum hoc Concilium religiosae veritatis facem attollit, amantissimam omnium matrem se vult praebere, benignam, patientem, atque erga filios a se seiunctos misericordia ac bonitate permotam. Humano generi, tot difficultatibus laboranti, ipsa, ut olim Petrus misero illi qui ab eo stipem rogaverat, dicit: "Argentum et aurum non est mihi: quod autem habeo hoc tibi do; in nomine Iesu Christi Nazareni surge et ambula" (Act. 3, 6) ».

3. In primis opus est ut ex pluribus argumentis pertractatis — quae in recenti schematum fasciculo continentur — quaedam et praecipua seligantur, atque examini subiciantur ea quae Ecclesiam universalem, christifideles atque universam hominum familiam respiciunt.

Schemata hac ratione conficienda sunt, ut potissimum pertractent generaliora principia, omissis particularibus quaestionibus quae ad rem non pertineant; nam prae oculis semper habendum est, Concilium Oecumenicum spectare ad universam Ecclesiam, eiusque Acta in perpetuum vim suam retentura esse. Quare vitentur etiam nimia verba atque repetitiones. Quae autem pertinere videntur ad futuram Codicis Iuris Canonici recognitionem, remittantur ad competentem Commissionem. Pariter oportet ut Commissionibus, quae post Concilium constituendae erunt, nonnulla specialia argumenta demandentur.

4. Interea nova Commissio constituitur laboribus Concilii coordinandis atque dirigendis, cuius membra sunt quidam Patres Cardinales et nonnulli Episcopi, eique praest Secretarius Status, qui Augustum Pontificem certiore facere debet de iis, quae in Concilio aguntur (cfr. Can. 222, § 2). Proprium huius novae Commissionis munus, quod concorditer cum Em.mis Praesidibus Commissionum Conciliarium expleri debet, hoc erit: coordinare labores Commissionum, eosque sequi, atque agere cum earundem Commissionum Em.mis Praesidibus non tantum de quaestionibus ad competen-



tiam spectantibus, verum etiam de iis, quae pertinent ad urgendam et in tuto ponendam conformitatem schematum cum fine Concilii.

Em. mis Praesidibus adiutricem operam praestabunt Vicepraesidentes, Secretarii, atque etiam Membra singularum Commissionum; ex circumstantiis vero patebit quatenus sint agendi normae opportune sequendae. Utiliter etiam consuli atque interrogari poterunt (non ratione officii sed observantiae et humanitatis causa), alii qui experientia praestant in variis navitatis campis, ac praesertim in externis apostolatus operibus; si enim eorum exquiratur sententia, iisdem opportunitas praebetur latius circa se disponendi animos ad recte aestimandam Concilii causam. Huiusmodi tamen opinionum investigatio ea ratione peragenda est, ut quam plurimi mentem suam commode ac libere aperire possint, quamquam necesse est ut debita prudentia et cautela serventur.

5. Singula schemata, postquam hoc modo recognita fuerint, atque Augusti Pontificis approbationem genericam obtinuerint, ad Episcopos mittentur, per Praesides Conferentiarum Episcopaliū, ubi haec via expeditior videbitur; iisdem autem Episcopi rogantur, ut schemata examinent ac deinde ad Secretariam Generalem Concilii remittant intra certum temporis spatium, singulis vicibus statuendum, quod utcumque breve erit.

6. Commissiones Conciliares, postquam animadversiones ab Episcopis factas receperint, procedent ad emendationes in schemata inserendas, ratione habita animadversionum receptorum atque bene perpensis rationibus quae singulis emendationibus favent vel non, ita ut schemata, congrua praeparatione instructa, Congregationi Generali proponi possint.

Has normas SS. mus Dominus Ioannes XXIII probavit.

Die 5 Decembris 1962.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI  
*a publicis Ecclesiae negotiis*

2

## NOVA PATRUM CARDINALIUM COMMISSIO RECENS INSTITUTA

Viri in altissimo dignitatis gradu collocati propterea asciti sunt in Commissionem rebus Concilii recto ordine componendis per hos octo menses, quibus opus eiusdem Synodi pergere diximus, licet partim extra sacra moenia Vaticana, quod Purpuratis Patribus ad id muneris vocatis honorem ha-